

90. 1.
Q. F. F. Q. E. I. S. S. T.

DISSERTATIONEM PHYSICAM
De
ACCIDENTIBUS
TERRÆ,

Summo Favente

Et

Adflante Aura Septem-Virum quo-
rum interest Amplissimorum

SUB AUSPICIO,

Viri Amplissimi & Celeberrimi,

Dn. PETRI HAHN,

Scient. Natur. Prof. & Biblioth.

Reg. & Ordin.

Liberalis Exercitii Gratia

Candidè Philosophantium Censuræ,

modeste sistit,

SAMUEL FLODIN,

Gothia. Svecus.

In Acroater superior. Aboëns. ad diem 27

Junii. An. 1707.

ABOÆ,

Exc. H. C. MERCKELL, Reg. Typogr.

Leopoldus Sorenz Quen

In,
SACRAM REGIAM MAJE-
STATEM

VIRO FIDO
IN CHRISTO
REVERENDISSIMO PATRI
AC DOMINO,

DN. O L A O
CAVALLIO,

Inclytæ Diœcesios Wexion. PRÆ-
SULI Famigeratissimo;
Consistorii quod ibid. est Eccl. PRÆ-
SIDI Gravissimo;

REGII itidem Gymnasii Wexion.
juxtaque Schol. per totam Diœces.
EPHORO Amplissimo;

Ut Mœcenati summo, ita humilli-
mo mentis obsequio, ætatem de-
venerando:

Felicitatem & multos
ANNOS!

Reverendissime in Christo Pater,

Dubiam aliò Mentem nolui nec potui, quam ad Reverendiss. Vest. PATERNIT. tamquam, Mæcenatam Optimum, ablegare; minime namque decuit alienam lucem mutuari, cum cognoverim Ignem Patrium, alieno luculentiozem. Nomen Tuum hic adponere, Humanitas Tua insignis, omnibusque notissima, jubet; quod, dum in/cryptum legetur, sic mihi splendorem addet & conciliabit, ut simul virtutum Tuarum, meritorumque fulgentissimum jubar eruditorum oculis ingerat, mentibus memoriam infigas. Æquum
(2 qui-

quidem esset, potius Nomini Tuo inscribi
opera magni momenti, quam hanc ina-
ratam & nullius fere note opellam;
Verum illa est singularis Tua Bene-
volentia, ut Clientulos tuos humilli-
mos ad Te flectentes oculos, affectu
paterno, complectaris. Hinc pro-
dit in lucem sub Auspiciis Tuis, primus
factus meus, ut à Nominis Tui splendore,
Ornatum, ab Adprobatione, vires, à Pa-
trocinio animum, accipiat. Et porrò ad
quem melius me converterem, quam ad
Reverendiss. Tuam Dignit. cujus ea est
in Juscipiendis discutiendisq; negotiis,
prudentia; ut non alium, Te, magis idone-
um tanta mole Atlantem, sedes nostra E-
piscopalis, repererit; in cujus nunc Bonum,
curas Tuas extendis, Tequè totum in-
pendis; ad quod munus, ingenio ad altio-
ra remigante velificanteque Prudentia,
merito es evectus. Ita Tibi Reverendiss.
Pater & qui debuit honor obtigit & Lo-
cus. Spero igitur Reverendiss. T. Patern.
admissuram hoc munus rudi Minerva ex-
aratam, arrham gratitudinis & obsequii
numquam emorituri. Luculentius quid
Tua

Tua postulat Reverendiss. D:tas; Sed
sui mea imbecillitas & accisa suppellex ne-
quit respondere. Do quod maximè possum,
amplius daturus ubi per atatem licuoris;
Animum Offero & Rem; Crediderim nam-
que cum Poëta Auson: Ex animo rem
stare æquum, non animum ex re; huic
quod deest abunde supplebit Tua que in
vultu & factis spirat Benignitas, in qua
spe desinam, & Deum Opt. Max. precabor
ut Te, quem voluit in Ecclesia laborare, des
magè magèq; crescere. ita vovet,

Reverendissimæ Tuæ Paternitatis

*Clientis Humillimus & de-
votissimus*

SAMUEL FLODIN.

VIRO

Admodum Reverendo ac Longe Clarissimo

Dn. M. JOANNI Lindewall/
 Pastori in Korsberga / Lemnabult &
 Solberga / meritissimo, District. adja-
 cent, Præposito, longe dignissimo; Mœce-
 nati & Fautori numquam non
 suspiciendo.

Pl. Reverendis, Clarissimis,
 DOMI.

Dn. SAMUELI WEDERBORG,
 Pastori in Kallswijk / longè dignissimo,
 Fautori & Evergetæ, antiqua virtute & fi-
 de, reverenter colendo.

Dn. ISRAELI MILLENIO,
 Pastori Ecclesiarum Skiröensis dignissi-
 mo accuratissimoque, Fautori & Benefactori
 quovis officii cultu prosequendo.

Mag. ANDREÆ KLINTINO,
 Eccles. Tåswelshås Pastori; & Oeconomo
 Templ. Cathed. Wex. benè merito, Fau-
 tori indubitato.

*Exile rudeque hoc Ingenii specimen, ob sin-
 favorem numquam non decantan-
 ris benevolentia optinenda, una cum
 gena felicitatis voto, sacratum voluit*

Pl. Reverendis Præclarissimis & Celebra-
tissimis DOMINIS,

Dn. Dn. M. M. nominati REGII
GYMNASII LECTORIBUS me-
ritissimis, Senatus Eccl. ADSESSORI-
BUS æquissimis, Promotoribus Evergetis
omni Pietatis zelo colendis.

Reverendis atq; Doctissimis,
NIS

Dn. CLEMENTI FLODINO,
Cætus qui in Berheda Deo colligitur
Pastori meritissimo, Parenti suo quovis filiali
obsequio, quoad Spiritus hos regerit
artus, Pl. honorando.

Dn. SVENONI WEXIONIO,
In Odensjö Pastori optime merito,
Evergetæ & Avunculo usque suspi-
ciendo.

Dn. PETRO KOMSTADIO,
ArchiDiacono Templi Cathed. Wex.
vigilantissimo dignissimoque, consanguis-
simo æstumatissimo.

gularam benevolentiam, Paterna beneficia, &
dum, in tesseram grati animi, & in spem ulterio-
rum illius suis obsequiis, & ardentissimo omni-

AUTH. & RESP.

Omniparens genetrix, pulchræ
ditissima prolis,
Innumeros aluit, TERRA benigna
viros.

Sed neglecta suis, quas ipsa eduxit
alumnis,
Et velut orba parens, pene reli-
cta fuit.

Ingemuit FLODIN; Terræque dat
oscula; nec Tu
O genetrix, digna laude carebis
ait.

Hinc doctum TERRÆ scriptum de-
dit indolè dignum,
Patronum & matris, pene jacen-
tis agit.

Gratulabundus scripsit

MATTHIAS SWEDER.

Jur. Prof. P. & Ord.

Pro-

Proëmium.



Um libera, solutaque sit mens,
nudas & apertas rerum substan-
tias perspicue cernens, clarissi-
ma omnium cognitione fruitur.

In hoc verò Corporis velut Ergastulum
conjecta, oblivione, tamquam densa cali-
gine, obruta, in summa versatur ignorati-
one rerum. At nihilominus semina que-
dam etiamnum retinens Divinitatis sue,
rerumque maximarum, dulci recordatio-
ne, quasi igniculis accensa, perpetuo sci-
endi noscendique desiderio, flagrat. Hinc
multa magno cum labore, & studiose re-
cuperat, perscrutaturque sensuum ope;
atque in ea primum incumbens, que sen-
sibus sunt obvia, occultiora tandem ra-
tione colligit, sola mente comprehendit.
Disciplinarum namque principia à sensu-
bus tamquam certis rerum internunciis,

olim fuerunt stabilita; Et ex his demum perfecta omnis humana cognitio ducta derivataque est. Atqui ut mens dicente Aristotele formarum est præstantissima, & ratio Artium omnium Ars & Officina, quod una omnes, omnium animantium, vires contineat potestate; Ita & illius organum instructissimum est, & conformationem pulcherrimam consequutum. Homini namque Corpus datum est, tum figura, tum partium commoditate Princeps; Unde non infulse Cl. Sperl. Corporis Humani structura mirabilior totius mundi opificio est. Magnum miraculum, dicente Titellmanno, sunt singula hominis membra, singula vires, singula organa, singula operationes. Apophthegmate propterea solenni nõ frustra Græcorum σοφοὶ præscripserunt γυνῆσι στέφανον. Intra nos enim habentes mirabilissima qualia non sunt in Cælo sursum nec in Terra deorsum nil opus habemus foris quæ admiremur aut quibus obletemur, expetere. Neque maria in hoc nobis sunt enaviganda, ut quæ mira prædicant.

dicantur cernamus; cum mirabilia
 multò quam usque locorum inveniri pos-
 sint, ipsi semper circumferamus. Ho-
 minem proinde esse, & quæ Hominis
 Origo sit ignorare, alia quæ supra nos
 infra & circa nos scire, & nostri prin-
 cipia nescire, ingens foret dementia.
 Hæc TERRAM esse jure statuitur; Cui uni
 rerum Naturæ partium eximia propter
 merita, cognomen inditum Maternæ ve-
 nerationis. Baro. Briffon. form. lib. 1.
 p. 49. Sic Hominum illa, ut Cælum Dei.
 Quæ nos nascentes excipit, natos alit se-
 melque editos sustinet semper, novissime
 complectens sacro gremio. Et Ennius a-
 pud Varronem; Est corpus Terra, quæ
 dederat ipsa capit, nec Dispendii facit hi-
 lum. Idem ex Epicharmo; Ist hæc Terra
 Gentes omnes peperit & resumat denuo:
 ist hæc dat cibaria, ist hæc omnibus fru-
 ges gerit. Cujus de Accidentibus, cum
 Invenit vires & quid valeant Humeri
 quidve ferre recusent, periclitari certū sit,
 ingeniosè fateor, imbecille crassumq; Inge-
 nium, in determinando aliquid certi in iis

*in quibus summi & facile Principes Philo-
 sophorum hallucinati sunt; Interim quan-
 tum recta ratione firmis rationibus, Scri-
 pturae Sacrae Testimoniis, non omissis, Excel-
 lentissimorum virorum, veris sententiis,
 investigari potuit. (ut opinor omissum
 non est). Vilia verò atq; impolita esse, quae
 Tibi Cand. Lector expono haud diffiteor,
 sed quia Benevolentiae tuae haud diffido, &
 iniuria soleant esse rudiora ex cultaque mi-
 nus; Existimo autem talia non esse quin opi-
 niones meae innotescant, si exarata in sa-
 num sensum à Te explicentur. Rogo autem
 ne statim improbes, quae Palato minus ad-
 ridcent tuo, quae perversa plurimum est con-
 suetudo: Humani à nobis nil alienum pu-
 tes, cum in errorem labi facile sit; Eò ta-
 men audacia ac Temeritatis non sum pro-
 gressus, ut liberum Tibi Philosophandi ju-
 dicium praescindam, scopus est tantummo-
 dò veritatem inquirere qua quispiam in-
 structus, aliorum delicta sat comprehen-
 det; Ita hic nec sim aliena reprehensurus,
 sed tantum quod spero, D. A. veram & sa-
 niolem sententiam Expositurus.*

Membrum Prius.

De Situ.

§. I.



uidquid summis ex-
 tollitur laudibus in
 Cœlo, Aureus Solis
 fulgor, splendor Ar-
 genteus Lunæ, cœte-
 rorum siderum ar-
 dens renitensque pulchritudo; Quid-
 quid stupescit ad lucis, umbrarumque
 miracula, quidquid notatu maximè di-
 gnum ad varios Iridis Colores, stupendas
 delicatasve Imagines; Rubedinis Matuti-
 næ & Vespertinæ, Symbola nubium,
 ventorum quietem & prælia sese insinu-
 at: Hoc omne in *Regno TERRÆ AQUÆ*,
 modo in enarrabili, velut Breviario quo-
 dam, congestit conclusitque Æternus ille
 Plastes. Somniant proinde rerum na-
 turalium egregiè imperiti, dogmatibus
 suis monstrosis, *GeoCosmum*, jam fœcē
 mun-

mundi, jam congeriem squalidam Elementorum, Corruptionis & Generationis vicissitudine, deturbatam meretricem adpellitantes; Cum tamen penes nos stat sententia immota, *Machinam TERRAQUEAM* dignitate atque præstantia, seu consideres finem ob quem condita est, seu Artificium immensum structuræ mediteris, seu rerum quibus abundat abstrusarum, tamen pulcherrimarum copiam spectes reliquos mundi globos, si non superare ad minimum tamen æquare.

§. 2.

Consideraturis nobis *Accidentia* *Terræ*, primo loco sese oculis nostris spectandum sistit ipsius *Terræ situs*, quem in medio mundi esse statuimus, idque haud dubiis Argumentis. I. In omnibus terræ locis & partibus, regularia ac *stata Tempora Æquinoctiorum* recurrunt, ideo necesse est *Terram in medio Universi* esse. Alias impossibile esset, accidere æquinoctium simul in *universa Terra*, nisi *Æquinoctialis Circulus* ubiq;

ab

ab ipsa Terra in duo æqualia spatia se-
 caretur, neque hæc æqualis sectio fieri
 posset, nisi Terra medium locum æqui-
 noctialis atque etiam mundi occuparet.
 2. Desumunt Mathematici à Dioptris
 seu Instrumentorum Regulis; Non pos-
 set, dicunt, ex eadem linea cerni, Ortus
 & Occasus, tempore æquinoctii, nisi
 Terra esset medium universi sed cerni-
 tur Ergo: 3. Desumitur ab observatione
 Orientis Solis in die Solstitiali sive Bru-
 mali, quod principaliter probat quod
 Terra sit Centrum totius superficiei æ-
 quinoctialis Circuli; sicut prius princi-
 paliter confirmavit eã æqualiter a Polis
 discedere. 4. Patet, ex oppositione Cœ-
 li & Terræ, quoniam maxima est distan-
 tia Terræ à Cœlo, & hinc locus infimus
 ei merito tribuitur, quod patet ex Pl. 103.
 v. 11. Eph. 4: 9. Pl. 95: 4. & alibi. Recta
 ratio id ipsum probat. Corpus gravissi-
 mum, crassissimum & obscurissimum,
 infimum obtinere locum, si videlicet
 apta & conveniens esse debeat universi
 Dispositio, tale esse Terram innotescit.
 Ergo.

Ergo. 6. adducunt ex Averrhoë Conimbricenses depromptum ab inconvēnientium consecutione; tali argumento; Si Terra non est centrum universi non fierent Ecclipses Lunares; nam Sol & Luna per Diametrum opponuntur, possent enim ambo in puncto zodiaci existere, absq; interveniente Terra, sicque Lumen Solis ad Lunam non esset impeditum neque hinc Ecclipsis secuta; Ultimo si Terra non esset in medio mundi, non viderentur sex signa zodiaci temper supra Terram & sex infra. Si namque ad partem alteram Cœli declinaret propius: hæc Regularitas Adscensionum & Descensionum non fieret: nec secaretur Cœlum in duas æquales partes ab Horizonte; nec tempus antemeridianum Pomeridiano foret æquale. *videri potest pluribus Freigius lib. 22. Geograph. pag. 486.*

§. 3.

Sed objiciunt opinionem veterum Pythagoreorum ex Arist. lib. 2. de Cœlo, Varrone, de ling. lat. Plutarcho de defect: Oracul. Illud Elementum esse in
 Cen-

Centro collocandum quod nobilius est; Ignem esse nobilius Elementum Terra, ergo conveniens erit quod nobiliori Elemento nobilior etiam locus tribuatur; Sed Resp. non possumus igni tribuere locum vel superum vel medium vel infimum cum putemus illum non posse stabulari, in universitate rerum; Deinde si ponamus dari, dist. inter medium virtutis & magnitudinis, illud esse ignem, hoc Terram dicimus. *Hinc recte Varro lib. 4. & 6. de ling. lat. scribit.* Cœli dicuntur loca supera & illa sunt Deorum; Terræ loca infera & ea hominum, ibi enim omnia nascuntur in medio, quod Terra Mundi media. Porro opponunt. Epistolam ad Philip. cap. 2: 10. Et quoniam Paulus ibi mentionem facit τῶν καταχθονίων h. e. subterraneorum, hinc volunt concludere aliquid dari Terra inferius. Resp. Varias patitur hæc vox explanationes, nimirum per καταχθονίους intelliguntur Dæmones, Luc. 8: 31. 2. Pet. 2: 4. Jud. v. 6. Item æquæ, quod istæ Exod. 20: 4. sub Terra esse dicantur. Si



prior sensus accipiatur nihil contra nos statuitur, si vero posterior, tum is conceditur, hoc pacto ut iuxta omni aqua terram esse simul ponatur. Porro Terra in & per se spectata, iugens Corpus est, gaudens partibus inferioribus & superioribus, ut pro attentione illarum Paulus supremos recte adpellarit ἐπίγεια infimas καταχθονία. Adhuc colligunt ex Psal. 24: 2. & 136: 6. Ubi Terra supra Aquas & mare fundata dicitur; inde haud inepte confirmatur non in infima sede, seu medio mundi locatam. Hic dist. putamus inter Terram consideratam ad litora, & ad medium maris pensiculata. illo sensu si accipiatur, Terra est supra Aquam, unde adposuit Lutherus v. 2. Psal. 24. vertit; Denn er hat ihn (Erdsboden) an die Meer gegründet / und an den Wassern bereitet: hoc non item. *vid. Pererium in Gen. Num. 55. pag. 23.*

§. 4.

Ex Copernici lib. 1. cap. 9. in Revol. argumentantur. Soli tribuendum quod ille

ille sit in medio mundi, & hoc rationis ordinem quo omnia sibi succedunt, & mundi totius Harmoniam docere, *si modo rem ipsam ambobus (quod ajunt oculis) adspiciamus.* Huic adserto quantum roboris adsit, facile quis colligere potest, si modó velit adtendere vel unicam rationem à nobis modo propositam. Nempe hinc sequi, dum Terram extra mundi Centrum ponimus, non semper sex signa zodiaci supra & sex infra Terram conspici: Neque hac ratione zodiacus patitur duas æquales sectiones, per Diametrum Terræ, quæ cum Absurda audiant, Absurdum quoque erit illud ex suo sequela necitur.

S. 5.

Cleomedes lib. 1. de Mundo pulcherrimè probat terram esse mediam mundi ab umbrarum differentiis. Si enim, inquit, esset Terra versus Ortum, tum Oriente Sole, breviores umbrae & occidentem majores existerent. Item cuncta orientia nobis majora adparerent quia viciniore ortui essemus, occidentia vero mi-

nora quia remotiora; Præterea primæ sex horæ diei essent brevissimæ, Sol enim subito illis ad verticem conscenderet; Posteriores vero Horæ, h. e. Pommeridianæ essent longæ, intervallum enim ad occasum majus existeret. Ergo non ad ortum magis accedit Terra, neque etiam ad occasum, omnia enim prædictis contraria contingerent. Et sic de septentrione & meridie judicandum. *Si vel inquit Terra sit medio sublimior, pars mundi dimidia supra Terram non adparebit, neque sex signa; neque æquinoctialis dimidium, sed his omnibus minoræ, unde noctes semper majores diebus existerent. Quod si medio sit humilior, prædictis cuncta evenient contraria, majore existente supra Terram Hemisphærio.* Ergo cum TERRA nec sit ad latera, nec supra nec infra, sequitur eam esse in medio Universi. Qui plura de *TERRE Situ*, scire aver, adeat *Comment. v. cl. Jacobi Milichii cap. 5. pag. 39. Cicer. lib. 2. de nat. Deo: Macrob. lib. 1. cap. 22. Comment. in Somn. Scipion.*

De Immobilitate.

§, I.

Circa hoc Accidens, non immerito
quæritur? *dum investigamus statum
rerum in quo versemur, pigerrimam,
an velocissimam sedem simus sortiti?
An Terra quiescat in medio universi, vel
locum nata alium? volvatur in Orbem?*
Inter varia variorum Philosophorum
sententiarum divortia, super hoc Argu-
mento, palmam cæteris præripere vi-
dentur duæ istæ Principes sententiæ.
Post Pythagoram Copernicus Mathema-
ticus Percelebris quem secuta est ingens
Doctorum cohors, statuit. Solem esse
Centrum universi, ad hunc Tellurem
annuo cursu circulum suum peragere,
spatium designans inter Martem & Ve-
nerem. Pro stabilienda sua sententia
varios rationum adducunt adparatus;
quos omnes ipsius Discursus actui sub-
mittimus; Ptolomæus autem cum suis
Sequacibus, Terram in medio tam er-
rantium quam fixarum stellarum, veluti
cen-

centrum totius mundi immobilem collocant, rationibus id quidem validis & egregiis. Verum quidem est cujus cumque harum opinionum sectator fueris, nihil inde Certitudini Geometricæ & Astronomicæ decedere; Certum & hoc, Sacram paginam, cujus Auctoritas & Reverentia magni est æstimanda, nullas Hypotheses cudere, parumve de circumgyrationibus orbium esse anxiam, quæ alium finem intendit. Consultius autem ducimus nos ei sententiæ ad hære, quæ tot Patrum, Theologorum, & Philosophorum adridet palato, præcipue nulla urgente necessitate, temerarium foret, recedere ab istis Scripturæ Sacræ locis, quæ Telluri quietem, sideribus motus perpetuos addunt. Sensibus denique omnium Hominum apertum indicere bellum eorumque acumen planè convellere.

§, 2.

Exstat dictum *Psalmographi Psal. 19:7. Sol tamquam sponsus, procedens de Thalamo suo, exultavit ut Gigas ad cur-*
ren-

*rendum viam, à summo Cælo egressio ejus
 & occurfus ejus usque ad summum ejus.
 Psal. 104. 19. Sol cognovit occasum suum:
 Eccl. 1:5. Sol oritur & occidit & iterum
 revertitur ad locum suum. Etiam Sira-
 cid. cap. 43. argumentum magnitudinis
 à Solis motu velocissimo, depromit, id-
 que non à sensu populari aut adparentia
 nuda, sed evidentissima rei veritate,
 Josuæ 10. illustris est locus: Sol quiesce in
 Gibeone & Luna in convalle Ajalonis, qui-
 evit sol & substitit. Ubi pro miraculo
 memoratur ad preces Josuæ inhibito
 cursu Solem stetisse & Lunam, ut per
 diem unam non occiderint. Etiam
 temporibus Chizechiæ, retro gressus Sol,
 Eccl. 48. v. 46. scribitur, ut *reducta sit
 umbra in Solario Achazi decem gradibus*
 2. Reg. 20: 11, edideritque hoc ipso prodi-
 gium; ut & Oratores miserint plerique
 Principum Babylonæ, 2. Paralip. 32: 31.
 & scientiæ sideralis peritissimos qui ta-
 lia perquirerent: Si namque Sol tum
 fuit retrogradus, cessitque hæc res in
 prodigium, inque stuporem Caldæos
 con-*

conjecerit erit infallibiliter verum, Solem, ad leges naturâ præscriptas, semper moveri & progredi & ab ortu in occasum procedere. *Psal. 24:2, 104:5. ipse super Maria fundavit Terram, & fundavit ipsam super Bases ejus, ne dimoveatur in seculum. Psal. 119.90. qui fundasti Terram & permanet. 1 Cron. 16:30. Commoveatur à facie ejus omnis Terra, ipse enim fundavit orbem immobilem. Eccl. 1:4. Terra in seculum stat. Hæc omnia in medium adlata Terrenum Globum instar firmi ædificii fundatum, clarè evincunt. Etiam Jobi 26:7. Terra in nibilo librata adseritur, h. e. super suum Centrum, seu Punctum Imaginarum in medio mundi, quod distat maxime à Cælo ambiente ut loquitur Pfeifferus.*

S. 3.

Lustratis sic iis Scripturæ dictis, quæ in hanc rem facere videbantur, censemus nihil obstare, quo minus *Ex omni moda specierum motus denegatione*, concludi possit *Terræ Immobilitas*: Quidquid

quid movetur, illud movetur vel *motu Recto*, vel *Circulari*, *Naturali*, *violento*, vel *praternaturali*. Sed nullo horum movetur Terra. E. immobilis omnino manet. *Non Recto*: alias Terra ascenderet, quod pugnat cum ipsius gravitate, quia omne à Centro discedens, ascendit, & omne grave suapte natura descendat. *Non Circulari*: si juxta Regulam immortæ veritatis: *Unus Corporis simplicis, unus tantum est motus simplex*. Notum hinc evadit, Elementum natura grave, ad rectum potius quam Circularem inclinare, prout nimirum, Omne grave tendit natura deorsum, & partes Terræ hunc unicum contestantur, ut prætereamus, per plurima quæ hinc sequerentur absurda. *Nec Naturali*, hic namque Gravium unicus est, descendere & deorsum ferri. *Nec Violento*, quia hic non esset continuus, atque perpetuus. *Nec præter naturali*, quia hic non nisi alio Corpore motore fieret; In tota rerum universitate, non reperire licet, aliquod Corpus, quod tanta gaudet gravitate, ut



possit efficacia sua atque pondere, tam immensam molem agitare vel elevare, multò minus è sedibus imis deturbare & evehere. Ergo Relinquitur Terram esse immobilem.

§. 4.

Qui Contrarium sentiunt in hunc modum argumentantur; *Motus est idior corporis naturalis, quemadmodum ex definitione naturæ patet*; ubi Natura describitur esse *Principium motus & quietis*, & propterea omne Corpus naturale moveri debere; Varias apud varios Scriptores videre licet explicaciones hujus Definitionis: Quidam Disjunctivam, quidam Copulativam defendunt; Nos cæteris omissis Vendelini acceptamus; Verba dicimus Copulari debere, motus & quietis in omnibus simul, non tamen eodem tempore, sed successive.

§. 5.

Sed dicat quis hinc sequi: sicut Cætera corpora naturalia moventur, ita Terram actu moveri debere & non qui-

quiescere. Tum dist. esse censemus inter δύναμιν καὶ ἐνέργειαν motus, licet δύναμιν Terræ ad motum concedas, (quod tamen non adprobamus,) inde non statim ἐνέργεια concedi debet. Alias homo cum dormit & humi cubat quiescens, ipse actu ambulare dicendus esset, quatenus & ipse principium motus progressivi animalis, in se continet.

§. 6.

Stat proinde firmo Talo, Terram esse in medio Universi collocatam, contrariisque vinculis ita innexam ut neque sursum neque deorsum, neque ad latus ullum inclinare possit; Sicut uter in Aquam projectus non potest mergi quamvis magna superingerantur pondera, nam pondus quidem deprimit ipsum, sed aër inclusus rursus sublevat. Ita Terra sua natura quia gravis est, deorsum fertur, sed aër qui continuo sursum tendit, circumdans eam, prohibet ne ruat.

§. 7.

Ad hos duos contrarios motus quo

aër sursum, Terra deorsum fertur, accedit motus primi mobilis, cujus irrequiereo circuitu Terra constricta & veluti ligata manet, in centro mundi, sustinens & gestans ea per quæ pendet, ita ipsa Sola Immobilis existit, reliquis omnibus Corporibus cœlestibus mobilibus, motu circumgyrationis & circulari.

§. 8.

De causis hujus immobilitatis non convenit inter eruditos; Quidam, ut Anax. Milesius, Terram quasi vinctam hæere, in quadam factitia perplexitate docuere. Democritus & Anaxagoras, Terram ampla & plana figura sustentari, commenti sunt. Xenophanes Colophonius, Terram in infinitum ab altera parte extendi, asserunt: & ita non prolabi. Thales Milesius, Aquam fundamentum esse defendit. Quas omnes sententias ut falsas refutat Aristoteles lib. 2. de Cœlo, cap. 13. tex. 78. & seqq. —

§. 9.

Nos duas, ut veras proferimus: Unam *Supernaturalem*, alteram *Naturalem*.
Itheo-

Theologica causa, est ipse opifex & Creator Terræ, qui *Psal. 104: 5. Terram fundasse dicitur, super stabilitatem suam non inclinabitur in seculum seculi. Et Job. 26: 7. qui adpendit Terram super nihilum*, hoc est super nullo fundamento, non enim Terra in Centro posita, quoquam alio eget fundamento. *Physica causa est*, Summa Gravitas quæ suapte Natura petit infimum locum mundi, in quo immota, permanens quiescit; Nec inde per vim extrahi educive potest; Unde *Manilius*, versibus illustribus describit:

*Imaque de cunctis mediam tenet undiq; sedem,
Idcircoq; manet stabilis, quia totus ab illo,
Tantundem refugit Mundus, fecitq; cadendo,
Undique ne caderet — — & alibi
Nec vero tibi natura admiranda videri,
Pendentis Terræ debet, cum pendeat ipse
Mundus, & in nullo ponat vestigia fundo.*

De Figura.

§. 1.

DEMONSTRATA sic, (quantum ingenio nostro adsequi licuit), ipsius *Terreni Globi Immobilitate*; Nunc ad lustrandam & contemplandam exteriorem ejus faciem paulatim properamus. Opus sane concinnum, humanam superans curiositatem. Sequentibus tamen rationibus demonstrari potest, esse Sphericam ejus figuram. Potior earum est Scripturae Sacrae adtestatio; & ut alia praeferamus, sufficit locus Classicus *Esai. 40: 22. Qui sedet super Sphaeram Terra &c.* Nec minoris ponderis censentur sequentes; quarum 1. Nec illuminaret Sol, qui a nobis immensum spatium distat, omnes Terrae partes simul, sed Orientem spectantes primo, deinde occidentem, idque certa proportionis lege servata, adeo ut qui quindecim gradibus propius Orientem accedunt, iis citius videbitur sol una hora, & duabus illis, qui triginta, & sic in reliquis quae
 sup-

supputatio vera non existerit, si Terra rotunda non esset. 2. Si esset alia figura umbra redderet eam in Ecclipsi Lunæ. Confirmant adsertum stellarum situs; Illæ quæ ad Polum Arcticum existunt semper adparent, non autem illæ quæ circa Antarcticum; Pariter Sol Orientalibus Populis citius occidit & oritur, quam occidentalibus. 3. Idem probant diversa spatia dierum & noctium in aliis atque aliis locis. Nam si Terra esset plana, simul inciperent & desinerent dies omnibus ubique: Constat autem citius orientalibus quam occidentalibus exoriri diem; Item spatia dierum, in æstate esse longiora iis, qui septentrionales Plagas inhabitant, quam qui meridionales. Ergo necesse est Terram esse rotundam.

§. 2.

Nec obsit, quod in Terra superficie emineant montes, dantur valles inimum adaçte, invenitur summa Planities: nam hic non adtendimus ad rotunditatem Arithmetice, sed Geome-

trice sumtam & consideratam; montes & valles ad Terram collati, se habent instar rimulæ alicujus, in Globo exiguo. Unde recte Witekindus in sua Sphæra, pag. 93. scribit. Montes, quantumvis magni videantur nobis Homuncionibus, nil tamen sunt, collati ad tantam Terreni Globi molem, cujus rotunditati non magis obstant, quam lapidei alicujus ligneique Globi scabrities, aut Pile futura eminula impediunt, quo minus sint rotunda.

§. 3.

Sed dices Esai, 44: 24. Psal. 136. & alibi. Scripturam docere Terram à Deo extensam fuisse, E. Resp. laborare vocem eam extendere, ambiguitate; notat interdum aliquid secundum planam figuram extendere, vel aliquid per infinitam potentiam creare, creatum conservare, augere ac continuare. Posteriorem sensum hic loci adprobamus exinde. Tum quod Cœli dicantur extendi, in eodem textu, qui sunt rotundi; Tum quod Propheeta, cap. 42, de fructu

Et germine adhibeat Pbrasin eandem.
 Regeris dicendo: Sole oriente ab Horizonte, non in modum Arcus, sed in figuram planam secatur à Terra, quod aliunde non provenit, nisi quia Terra plana est, ita secundum planum secat. *Sed fallunt Et falluntur egregie, à rei adparentia ad ejus veritatē argumenta Apodictica ducunt;* posito nos Solem Orientem circulariter intersecari, minime posse percipere, inde tamen mox non concludendum id non fieri: cum Terra sensuum judicio majore est sole, à sole oriente exigua tantum Terræ particula intercipi videtur, quæ ob amplissimam Terræ molem recta adparet, quia in parte exigua Amplissimi circuli, non deprehenditur curvitas, tanto minus, quanto Circulus major est.

De Magnitudine.

§. I.

Ingens quoque naturæ Majestas, se expandit circa *Terreni Globi magnitudinem*, quam hic sicco pede non esse prætereundam censemus; Cumque Terra

quo ad suam communem mensuram, soleat secundum Diametrum suum, mensurari, & inde facile innotescit, siderum Magnitudo & Distantia; attendendum est, unum circuli magni gradum in Terræ superficie, sexaginta octo milliaria continere: Quo numero in totum Circulum ducto, colligitur Terræ Ambitus, Milliarium vicies quater mille sexcentorum viginti quatuor.

§. 2.

Observandum præterea, si dividatur Circulus in Viginti duas partes, ejus Diameter septem ex illis complectitur, semidiameter tres cum dimidia, sic ut Ambitus ad Diametrum, habeat se, ut viginti duo ad septem, quare Terræ Diameter colligitur esse septies mille octingentorum triginta quinque milliarium. Et Semidiameter, Ter mille nongentorum octodecim milliarium. Quanta Veterum fuere dissidia de Magnitudine Terra videre est apud Plinium lib. 2. naturalium Hist. cap. 108 pag. 31. 32. Qui vero discipis schema à Comimb. exhibitum,

tum, adeat *Tract. Stæcheolog.* Cl. Dn. Joh. Cunr. Schragmüllern *Disp.* VII. pag. 214. & 215.

Membrum Posterius.

De Habitatoribus Terræ & Zonis.

§. 1.

EX Geographis in medium adducere possumus, varias Terræ Divisiones, si nobis ab instituto declinare non prohiberet, Temporis angustia & imperata brevitatis; nec cum Timplero facimus, Geographiam partem Physicæ adpellantis *lib. 3. Apſychol. cap. 4. probl. 1. p. 253, 254.*

§. 2.

Dividuntur Zonæ in *Temperatas & Intemperatas*, *Temperate* duæ illæ inter *Torridam & Frigidam* sitæ. *Intemperate* tres, *Media Torrida, due extrema, frigida*. Inter veteres & recentiores ingens est discrimen in descriptione zonarum. Illi *Torridam* perpetuo ardere contendunt ea propter inhabitabilem.

esse sensere: *Frigidas* è contra perpetuis nivibus & frigore rigere ut & hæc plane ineptæ hominum habitationi ducebantur. Qua de re *virg. lib. 1. Georg.*

*Quinq; tenent Cælum Zona, quarû una Corusco,
Semper Sole nitens, & torrida semper ab igne,
Quam circum extrema dextra levaque tra-*
buntur

*Cærulea glacie concretæ atq; imbribus atris:
Has inter mediamque duæ mortalibus agris,
Munere concessæ divum &c. — —*

Cum *virgilio* consentit *Ovidius, lib. 1. Metamorph.* ubi dicit

*Ut due dextra Cælum totidemq; sinistra,
Parte secant Zona quinta est ardentior illis,
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei totidemq; plagæ tellure premuntur,
Quarum quæ media est, non est habitabilis*
æstu;

*Nix rigit alta duas, totidem inter utramque
locavit:*

Temperiemq; dedit mistâ cum frigore flamma.

Nos recentiorum opinionem amplectimur, statuentium, *Rerum Magistram* *Experientiam* nos docuisse *Zonam* illam, æque ac cæteras habitari posse, magisq; temperatam esse & etiamnum hodie

incoli quod navigationum experimen-
ta suppeditant, perpetuis imbribus irri-
gari, fluminibus & fructuum copia
gaudere, *ut scribit Joseph. Acolast lib. 2.
de nar. nov. orb.*

§. 3.

Nec obstat, illud Terræ Spatium, quod
Solo propinquius est, ob radiorum dire-
cte ferientium vim, inhabitabile esse;
Et ea quæ remotiora à Sole sunt into-
lerabili planè frigore algere. Dicimus
illud sic adpellari quod magis caleat
quam cætera, non quod omnia exurat
& torreat, deinde *dist. inter particula-
res & universales causas, inter naturam
& accidentia ejus.* Olaus Magnus ad o-
culum ostendit habitare Populos sub
Polis *lib. 1. de Septent.* nam dicit *possunt
Homines illi, vel arte, vel causis natura-
libus adhibitis, illud frigus & minus be-
nignam Cœli Temperiem declinare.* Arte,
dum partim consuetudine, assuefacti,
partim pellibus ferinis acquisitis in-
duti.

De

De Gigantibus.

§. 1.

QUAM admiranda & miraculosa, Na-
 tura in formatione Hominis se-
 pandit, vix mente percipi potest; Vi-
 dere ne quidem licet, in toto MacroCos-
 mo, duos homines, ad externam for-
 mam faciei, & lineamentorum similes,
 multo minus quoad internos Sensus:
 hinc (*Quot capita tot Sensus: dici Solet*);
 Taceo diversitatem staturæ. Unde non
 videtur nobis hic loci prætereundū; O-
 lim & temporibus nostris, in diversis
 Terrarum locis, Homines miraculosos
 adparuisse: toto Corpore hirsutos, pro-
 no pectore, instar Quadrupedum am-
 bulantes; In insula Bituan Anthropopha-
 gos; in Regno Ferlech bestialiter viven-
 tes, alibi Hermaphroditos, alibi cauda-
 tos, quosdam longas aures habentes, os
 parvum sine lingua; Taceo Pygmeos,
 Edones, Bibones, abstinentes à cibo,
 longævos, senes repuerascentes, juvenes
 maturè canescentes; Inter hos omnes
 non postremum venditant sibi locum.

Gigantes, quorum de Existentia, licet fabulosa multa, tam Historiographi, quam Poetæ, commenti sint; eos tamen existere in rerum natura affirmari debere censemus, Cum in testimonium nobis sunt *Profani & Sacri Scriptores*. *Moses Gen. 6. 4. expressam* גִּגָּנִים *hoc est, Gigantum in terra habitantium mentionem injicit. Eodem versu* נְבָרִים *potentes,* נְבָרִים *viros nominis, id est Celebres & famosos nominat. Conf. Gen. 14: 5. & Deut. 2: 11. ubi illi ipsi vocantur* רַפְּאִים *vel à radice* רָפָה *, quòd cæteri homines eorum metu infirmi facti sint, reliqui Homines metu eorum quasi exanimis redditi, vel quod se Medicos & Reip. auxiliares jactitarent, Vid. si placet Gesn. quest. 7. in cap. 6. Gen. pag. 161. ubi plura eorum nomina, ex Scripturae locis adducit.*

§. 2.

Ex profanis confirmat id ipsum, *Plinius lib. 7. natur. hist. cap. 16. pag. 112. 113. scribit: In Creta insula, Terræ motu rupto monte, inventum est Corpus stans*

stans, 46. Cubitorum, quod alii Ori-
 nis, alii Etionis fuisse tradunt. Et paulo
 post tradit. Procerissimum hominem æ-
 i tas nostra vedit *Divo Claudio Principe;*
Gabbaram nomine ex Arabia advectum
 IX pedum & totidem unciarum. Fuere
 sub *divo Augusto* Semipede addito: quo-
 rum Corpora ejus miraculi gratia, in
 Conditorio Sallustianorum adserva-
 bantur hortorum: Pusioni & Secundil-
 læ erant nomina. In Italia Puteolis hi
 versus de Ossibus Gigantum leguntur:
quorum Autor esse putatur Pomponius
Letus:

Huc quicumq; venis, stupefactus ad Ossa Gigantiũ,

Disce cur Hetrusco, sint tumultata Solo,

Tempore quo domitis jam victor agebat Iberis,

Alcides, captum longa per arva pecus.

Colle Dicæarcho clavaque arcus, Typhones,

Expulit, & cessit noxia Turba Deo.

Hydruntum petuit pars, & pars altera Tuscos.

Interiit victus terror uterque loco.

Hinc bona posteritas immania corpora servat,

Et tales mundo Testificatur avos.

Scatiger Exer. 263. inter alia refert: Me-
diolanũ profecti offendimus in Publico

Noso-

Nosocomio Juvenem unum tantæ pro-
 ceritatis, ut stare non posset. Neque e-
 nim potuerat à natura satis alimenti ad
 crassitudinem, roborisque proportionẽ
 meditari. Itaque jacebat explebatque
 lectos duos simul junctos. Adfert & alia
de Samogithis, apud dictum Autorem
 cuivis legenti obvia. *vid. quog; Camerar.*
cent. prima. oporar. subcisiv. cap. 82. pag.
383. 384.

S. 3.

Nec desunt, qui autumant Vocem
 Nephelim potius Dæmonibus quam ho-
 minibus tribui, quod radix hujus vocis
 נפול significet cadere; Et hinc Dæmoni-
 bus נפולים convenire, quod notum sit
 illos de Cælo decidisse. *Resp.* Rabbi A-
 braham & Aven-Efra opinati sunt *Gi-*
gantes ita dictos, quod cæteri homines
 ad conspectum eorum timore & horrore
 perfusi, cadebant ad pedes illorum, ita
 etiam sentit, *Schindlerus lexic. Pentaglot.*
Rad. נפול pag. 1142. Alii ex *Jobi 16: 14.*
Irruit in me quasi Gigas, sibi occasionem
 sumserunt dicere hos ita nominatos pro-

pter violentiam, quam in homines exercuere, prosternendo illos in terram; vel quod mulieres pro ipsorum libitu raperent quod innuit *Gesnerus loco supra cit.* Alii quod *Gigantes* in Cataclysmo universali perierint; Adducunt locum *Job. 26. Ecce Gigantes gemunt sub aquis Et Sap. 14: 6, Et Ecclesiastici cap. 16: 8. vid.* Dicimus Ergo quocumque modo explicetur hæc vox, nihil pro Dæmonibus obtinere potest. *Ex Numer. 13. 34. & ultimo firmissime constat,* ubi juxta veritatem Hebraicam legendum est latine: *vidimus quoque illic Nephilim filios Hachach de Nephilim, homines Giganteos, non Demones sibi intelligi,* ubi certe *Gigantes* qui erant ex stirpe Enac voce *Nephilim* describuntur. *vid. Aug. in lib. Quest. in Gen. Resp. 3. & lib. 15. de civ. Dei cap. 23.*

§. 4.

Sed regerunt, *Adamum* hoc pacto fuisse *Gigantem* quod & ipse vixerit ante Diluvium. *Et Hieronymus cap. 27. Math. testatur,* *Adamum* non in monte *Calvarie*

varia, sed Hebron sepultum esse, ut tradit Jos. quo cum consentit Parcephas in lib. de Paradiso. Resp. Concilia tempora, & concordabit Scriptura. Post tempus Adami exstiterent Gigantes cum genus humanum rueret in pejus & omnia retro sublapsa ferebantur. Gen. 6: 2. Et sic clarum evadit Adamum ex Gigantibus istis non fuisse. Quod concernit sepulturam Adami facilius dici quam probari potest. Augustinus, Epiphanius Cyprianus cæterique Patres magni, satis comprobant, eum in monte puta Calvaria sepultum. De Gigantibus quis plura desiderat adeat. Pererium lib. 8. de causa diluv. disput. 4. pag. 398. & seqq. Gesnerum q. 7. in Gen. Diss. VI. pag. 161. & sequent. pluresve alios,

De Antipodibus.

S. I.

Distinctio Habitatorum Terræ etiam desumi potest, à situ opposito habitationis, quem occupant: Et tripliciter distinguuntur, nempe in *Periacos*,

Antecos & Antipodes. *Periæci* nominantur ii, qui eodem Parallelo, & meridiano habitant, his omnia sunt communia; Contrario autem tempore Diem & noctem: nisi intra frigidam zonam constituentur, qui tunc fieri potest, ut simul diem & noctem habeant. *Antoeci*, adpelluntur qui in diversis & è Regione oppositis zonis, ac sub eodem meridiano in eadem longitudine habitant. Cum hi qui ad meridiem habitant diem longissimam habent, tum alteri qui ad Septent. degunt, brevissimam &c. meridiem & mediam noctem communem nanciscuntur, opposito tempore, Brumam, & æstatem. Antœcis intra tropicos accidere potest, ut simul sit hyems, nunquam tamen simul æstas.

Antipodes nominantur, qui, ut *Tullius ait; Adversa urgent vestigia*, h. e. qui eodem meridiano & Horizonte, gaudent, Parallelos etiam ab Æquatore æqualiter distantes, & distant inter se 180. gradibus maximi in Cœlo circuli, atque hoc modo Hispani habent Indos

Antipodes. Antipodes extra Æquator-
rem constituti, omnia habent opposita,
eò quod *contrariis vestigiis sibi mutuo
opponuntur*. His, quod ad partes anni,
rationem dierum, ortum & occasum si-
derum, & similium accidentium, adti-
net, nil est commune, sed omnia contra-
ria, propter situm contrarium.

§. 2.

Quæstio de *Existencia Antipodum*,
à multis prolixè satis est agitata; fue-
runt namque ii, qui negarunt dari
Antipodes, deputantes eos, qui hoc ad-
ferunt & adfirmant pro stolidis, & vano
errore deceptis; *At si sunt*, inquirunt:
*Mirum est quomodo ambulent, & non
decidant*. Facilis & expedita est respon-
sio Homini mediocriter in hisce ver-
sato; exponendam tamen censemus.
Si Terra est Sphærica quemadmodum in
Membro priori probavimus, necessariò
sequitur esse Antipodes. Quod autem
non decidunt, causa est, quia omne gra-
ve tendit deorsum, si autem deciderent,
caderent versus Cælum sursum, quod
expe-

experientia & naturæ gravium contrariatur. Hæ enim Positionum differentia respectu Cœli sunt, in quacunque enim parte Terræ, aliquis existit, illic Cœlum est sursum, Terra deorsum. *Unde Plinius recte asserit. Illos mirari nos non decidere.*

§. 3.

Secundo adserimus dari Antipodes, sequentibus moti rationibus; 1. Docere nos qui immenso sese commiserè Pelago, existere Populos qui Pedes suos pedibus aliorum ex diametro obversos habent. 2. Patet ex Cœli & Terræ situ, quod utraque pars, respectu illius, sit quibusdam hominibus inferior, quibusdam superior. 3. A circulari motu Solis; innotescit namque Solem circumgyrari circa Terram, motu circulari & spherico, ad illam illuminandam, & calefaciendam. Quando vero nobis occidit, necesse est, aliis orietur, aut commorabitur otiosus infra Hemisphærium quod pugnat cum Philosophi illo: *Deus & natura nil faciunt frustra; Constat hinc*
quan-

quando apud nos occidit, apud Antipodas Solem oriri & quando apud Antipodas oritur nobiscum occidere.

§. 4.

Argumenta, quæ in contrarium adferri possent, ab Eruditis, multis in locis sufficienter sunt enodata & refutata vid. *Celeb. Schragmüllern Diss. VII. pag. 228.* Quod concernit adsertum *Aventin. lib. 3. Annal.* ubi scribit. *Episcopum quendam Virgilium, hereseos damnatum, & anathematis fulmine ictum, quod assereret dari Antipodas.* Resp. Ei opponimus *Baronium in Annal. A. 748.* dicentem: *Virgilium illum, in ea sententia firmiter permansisse, quod revera existeret alius novus mundus, qui alio sole & stellis illuminaretur, ob id damnatum, non ob adsertos Antipodas.*

Et tantum de *Accidentibus Terra*, Reliqua Geographis, ne falcem in alienam messem mittere videamur, relinquimus; Atqui sic labori huic imponimus finem *Accipe Cand. Lect.* hæc quæ præcipiti stilo in Chartam conjecta sunt, Tempus enim

enim quod perbreve fuit & animus, qui
 cupidine alias Terras visendi trahitur,
 prohibuere; in exactam hujus ardui Ar-
 gumenti inquirere Cognitionem.

*Gloria sit Patri, Nato sit Gloria Sancto,
 Gloria Spiritui, Triadi, sit Gloria Sa-
 cra!*

Ornatissimo juveni

Dn. SAMUELI FLODIN,

Amico singulari

De

TERRÆ ACCIDENTIBUS

Eruditè differenti,

TErram dum lustrat FLODINUS
 acumine mentis,
 Ingeni, (quid multis?) fit quoque
 laude cluat.

*Animo quam calamo prolixi-
 ori gratulatur*

A. H.

